

Felix morte tua, non tot portenta malorum,  
Tot scelerum facies, perfidiamq; vides.  
Nec te alternatim fortuna inimica fatigans  
Ludit, & in varias trudit iniqua plagas.  
Nos miseri tantis sumus obvia turba periclis,  
Fertur & in domito cymbula nostra salo.  
Pars melior Lobechi tui nunc tempora pacis  
Sacra colit, mundi fama pererrat opus.  
Corpus humo tegitur: Tuta requiescat in urnas;  
Et sit humus cineri non onerosa suo.

M. PETRVS BOETHIVS  
Holsatus.

---

LESSVS SVPER FVNERE PRÆ-  
STANTISS. THEOLOGI. D. DA-  
VIDIS LOBECHII.

**E**Rgonè divinam miseratio pristina mentem  
Deserit, inq; truces evanida vertitur iras?  
**E**Quàm Bellona ferox, & pestifer Angelus ense  
Sævit in hoc tempus, sic te mandante Ichova!  
O sævas iræ flammæ: nec parcitur isti,  
Quæ colit arbitrio verbi tua numina, Turbæ!  
At reliquas diro superantia pondere clades  
Hæc mala: propositos sacro optatissimè ovili  
Custodes crebro nunc passim funere mergi!  
Quid magis indignum? jacet ô jacet HYNNIUS ille  
CHRISTE tui validus quondam defensor Honoris,  
Quem modò non Albis flet tantum, Ecclesia tota  
Calvini Errorem, & Romanum exosa Tyrannum,  
Prosequitur dignum lacrymis: quas ipse subinde  
Fundo et jam, atq; novum desidero cælitus Hunnum.

Verum heu dira nimis nec dum deseruit ira!  
Uni dum exspecto medicamen vulneri, acerbat

Vulnus